

## Nr. 396.

*Gregor VIII bestätigt dem Bischofe Stefan von Ferrara die Besitzthümer und Rechte seiner Kirche, die er in apostolischen Schutz nimmt<sup>1)</sup>.*

*1187 November 11. Ferrara.*

Gregorius episcopus, servus servorum dei, venerabili fratri Stephano, Ferrariensi episcopo<sup>2)</sup>, eiusque successoribus canonice substituendis, in perpetuum. In eminenti sedis apostolice specula, licet immeriti, disponente domino, constituti, fratres nostros episcopos, tam propinquos quam longe positos, fraterna debemus caritate diligere et ecclesiis a deo sibi commissis paterna sollicitudine providere. Eapropter, venerabilis in Christo frater episcope, tuis iustis postulationibus clementer annuimus et, felicis recordationis predecessorum nostrorum Innocentii, Celestini, Lucii et Alexandri, Romanorum pontificum, vestigiis inherentes, prefatam Ferrarensim ecclesiam, cui deo auctore preesse dinoscetis, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus et presentis scripti privilegio communimus. Statuentes, ut quascumque possessiones, quecumque bona eadem ecclesia in presentiarum iuste et canonice possidet aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblacione fidelium seu aliis iustis modis, prestante domino, poterit adipisci, firma tibi tuisque successoribus et illibata permaneant. In quibus hec propriis duximus exprimenda vocabulis<sup>a)</sup>: monasterium sancti Silvestri, monasterium sancti Bartholomei, plebem sancti Georgii ultra Padum, plebem sancte Marie de Gabiana, plebem sancte Marie de Vicovencia cum castro et curte et toto honore et districtu Vicovencie, plebem sancti Martini de contra Padum, plebem sancti Apollinaris de Trisicatio, plebem sancti Stephani de Firminiana cum tota curte Firminiane et Trisicalis cum honore et districtu, plebem sancti Petri de Copario, plebem sancti Georgii de Ternara, plebem sancti Martini de Rupina, plebem sancti Martini<sup>b)</sup> de Septempoticino, plebem sancte Marie de Vicarano cum curte Vicarani et toto honore ac districtu, plebem sancti Donati de Pedurrio cum curte sancti Donati et districtu, plebem sancti Stephani de Bolonitico cum curte Bolonici et honore ac districtu, plebem sancti Georgii de Tricenta cum curte Tricente, toto honore ac districtu, plebem sancti Antonii de Ficarolo, plebem sancte Marie de Civisello<sup>c)</sup>, plebem sancti Michaelis de Bragantino cum curte Melaria et toto honore ac districtu, ecclesiam sancti Stephani de Staurano cum tota eius curte, ecclesiam sancti Romani de Tartaro, ecclesiam de Cadaldo cum hospitali, ecclesiam sancti Thome cum hospitali subtus Buranam, ecclesiam sancti Mathei cum hospitali de Rupta Petriscorti, hospitale omnium sanctorum, hospitale fratris Duranti<sup>d)</sup>, hospitale de Cauda longa, ecclesiam sancti Lazari cum hospitali de Campomercati, curtem Francolini cum toto honore ac districtu, curtem Badringnani et Bragantini cum toto honore ac districtu, curtem Porticlamatoris cum honore et districtu<sup>e)</sup>, vallem Theodoram, campum Ducis, Dossum Pontunarie<sup>f)</sup>, cum tota vallada sibi pertinente, ecclesiam sancti Martini de Bosco<sup>g)</sup>, hospitale de Ruptulo cum omnibus capellis et tenuris et earum pertinentiis. Antiquas igitur et rationabiles consuetudines, quas antecessores tui in canonica maiori et in ecclesiis tui episcopatus hactenus habuerunt, tibi et successoribus tuis auctoritate apostolica confirmamus. Statuentes, ut nulli liceat, aliquem in ecclesia maiori in canonicam vel in aliquam prelationem, non requisito consilio et licentia tua seu successorum tuorum, recipere, nec cuiquam fas sit, in ceteris ecclesiis capellanum absque tuo consensu instituere<sup>h)</sup> vel amovere. Correctionem quoque canonicorum ecclesie tue et aliorum clericorum tui episcopatus et monachorum libere habeas et eorundem ordinationem, sicut predecessores tui habuisse noscuntur, tibi et successoribus tuis duximus concedendam. Illud etiam ad exemplar supradictorum predecessorum nostrorum omnimodis sanctientes, ut Ferrariensi ecclesia cum tota parochia sua in iure et dominio ac privilegio sancte Romane ecclesie beati Petri, cuius est patrimonium, perpetuo conservetur, et sit semper sub nostra nostrorumque successorum electione, ordinatione atque consecratione, ut, quicumque illic electus, ordinatus et consecratus fuerit, ille honoris huius ac potestatis integritate fungatur. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum fas sit, prefatam ecclesiam . . . eorum pro quorum, gubernatione ac sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura, salva in omnibus apostolice

a) nominibus II      b) sancte Marie II      c) Cirusello II      d) Durante I      e) von curtem Porticlamatoris an fehlt in I      f) Pontanarie II      g) Bosclo I      h) constituere I. — 1) Vergl. die Urkunde vom April 978.      2) Stefan, Bischof von Ferrara, 1186—1189.

sedis auctoritate. Si qua igitur . . . Cunctis autem, eidem loco sua iura servantibus . . . inveniant. Amen. Amen. Amen.

Ego Gregorius catholice ecclesie episcopus ss.

Ego Henricus Albanensis episcopus ss.

Ego Paulus Prenestinus episcopus ss.

Ego Theobaldus Hostiensis et Velletriensis episcopus ss.

Ego Petrus presbiter cardinalis tit. sancte Susanne ss.

Ego Laborans presbiter cardinalis sancte Marie transtiberim tit. Calixti ss.

Ego Melior presbiter cardinalis sanctorum Ioannis et Pauli tit. Pamachii ss.

Ego Adelardus tit. sancti Marcelli presbiter cardinalis ss.

Ego Iacobus diaconus cardinalis sancte Marie in Cosmidin ss.

Ego Gratianus sanctorum Cosme et Damiani diaconus cardinalis ss.

Ego Octavianus sanctorum Sergii et Bachi diaconus cardinalis ss.

Ego Berardus sancti Georgii ad Velum aureum diaconus cardinalis ss.

Dat. Ferrarie, per manum Moysi, Lateranensis canonici, vice agentis cancellarii.

III Idus Novembr. Indictione VI. Incarnationis dominice anno MCLXXXVII. Pontificatus vero domni Gregorii pp. VIII anno primo.

*Einzelkopie vom 17 Jahrh. und Abschrift vom 18 Jahrh. der Prisciani Peregrini Coll. III fol. 68, im Archivio di Stato zu Modena.*

### Nr. 397.

*Gregor VIII beauftragt die Bischöfe von Padua, Treviso und Vicenza, dafür zu sorgen, dass Hezelo von Onara, der wegen seiner Uebergriffe gegen das Kloster Sesto (D. Concordia) gebannt worden, von ihren Diözesanen streng gemieden werde.*

1187 November 12. Ferrara.

Gregorius episcopus, servus servorum dei, venerabilibus fratribus . . . Paduano<sup>1)</sup>, Tarvisino<sup>2)</sup> et Vincentino<sup>3)</sup> episcopis, salutem | et apostolicam benedictionem. Cum ad sedem apostolicam dilectorum filiorum nostrorum abbatis et fratrum Sextensium<sup>4)</sup> querela delata fuisse pro eo, quod nobilis vir Hezelo de Onara molendinum et viginti mansos terre ipsis nolebat restituere, quamvis ad hoc fuisset per sententiam iudicium condempnatus, dominus Urbanus papa, predecessor noster, venerabili fratri nostro, Castellano episcopo<sup>5)</sup>, et dilecto filio, priori sancte Marie de Caritate, dedit per suas litteras in mandatis, ut predictum Hezelonem, nisi acquiesceret sententie, ad hoc excommunicationis sententiam compellere non different. A quibus, quamvis predictus Hezelo, admonitione premissa, fuisset excommunicationi suppositus, adhuc tamen in sua dicitur duritia permanere. Quia igitur predicti Hezelonis contumaciam non debemus nec possumus sub silentio preterire, fraternitati | vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus predictum Hezelonem, nisi ad vestra monita resipuerit, per vestras dioceses, sicut | excommunicatum, faciatis artius evitari. — Dat. Ferrarie, II Idus Novemb. Indictione VI.

*Or. (Abbazia S. M. di Sesto Nr. 36), im Archivio di Stato zu Venedig.*

*Perg. ital., br. 0,173, lang 0,96, durch 2 Löcher ging die Schnur, welche mit dem Siegel verloren ist, Fallung der Breven.*

### Nr. 398.

*Gregor VIII bewilligt der Kollegiatkirche San Salvatore di Venezia, sich frei einen Vogt zu wählen.*

1187 November 16. Ferrara.

Gregorius episcopus, servus servorum dei, dilectis filiis, priori et capitulo sancti Salvatoris de Venetiis, salutem et apostolicam benedictionem. Quanto laudabilius imminicet servitio conditoris, tanto vobis in his, quæ iuste requiritis, libentius adesse

1) Gerard Marostica, Bischof von Padua, 1169—1213.

2) Konrad II, Bischof von Treviso 1181—1197.

3) Pistor, Bischof von Vicenza, 1184—1204. 4) In Friaul.

5) Marcus de Nicola, Bischof von Castello, 1182—1225.